QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

agitanda in ſcholis Medicorum, die Iouis, 10. Decembris, eruditiſſimo viro D. Martino Akakia, Regio & Medico & Profeſſore, moderatore prudentiſſimo.

An cutaneis affectibus hidrωtica?

CVTIS *ex ſemine concreta, ſanguinis tamen, ſenſúſque particeps, cùm ſit extima & imbecillima, licet partium temperatiſſima, totius corporis excrementa facilè ſuſcipit. Huius raritas corpus externis vitiis reddit opportunum, ſed ab internis magis vindicat: denſitas, contrà. Atqui eorum quæ intus foras prodeunt, par non eſt euentus. Vaporoſa enim, inſenſili perſpiratu digeruntur: fuliginoſa, in pilos abeunt: aquoſa, ambientis calore fuſa, per ſudores effluunt: craſſa, cutem reddunt ſordidam. Hæc omnia cùm vitium intus contraxerunt, aut prauis humoribus admixta ſunt, ſi ad cutem hæreant, variis eiuſdem affectibus materiam ſuggerunt, qui conſtrictione meatuum accelerantur.*

EX iis nonnulli peculiarem ſedem occupant, alij toto corpore vagantur. Sic achor, turpi ſcabie caput infeſtat: Ephelides, faciem: Epinyctides artus excruciant: Verrucæ ſeſsiles, ferè in manibus expullulant: Claui, pedibus infiguntur. At Lechen, ſummam cutem ſerpendo inficit: Scabies, exaſperat: Lepra, altiùs depaſcit. Phlyctænæ paſſim oriuntur, vt & ſudorum Papulæ. Herpes, cutis ſuperficiem inurit. Exanthemata vbique, Vere potiſſimùm & calidis naturis, extuberant. Leuce, quamlibet partem, cum pilis, albo colore tingit.

PSωra omnium eſt frequentiſſima, quæ quouis tempore graſſatur, præſertim Vere & Hyeme, nulliſque parcit naturis vel ætatibus: Senibus tamen morbo defunctis ſæpiùs accidit, & ægriùs curatur. Fœditatis huius cauſæ ſunt, ventriculi ſegnities, δυσπεψία, æſtus iecoris, lienis infirmitas, vtriuſque viſceris obſtructio, καχεξία, ſalſorum, acrium, dulciariorum operum, fructuum crudorum & olerum eſus, motus, venúsque à cibo, indumentorum ſordities, frigus ambientis cum cutis denſitate. Hinc craſſus & acris humor colligitur, qui puſtulas in cute ſiccas vel humidas excitat. Huic congener eſt Impetigo, leuior tamen & diluitioris humoris ſoboles. Lepra verò magis eſt effera, & ab aduſtiore, craſſioréque humore naſcitur.

COmmunis omnibus vt eſt Pruritus, ita & Contagio, ſed vtrumque magis in Lepra moleſtum: Quanquam Pruritus non rarò per ſe contingit, ab acri, tenui & immota materia cutim titillante, ſine aſperitate, puſtulis & vlcere, quibus à Scabie diſtinguitur. Peccantis verò humoris naturam, cauſarum precedentium dignotio, nedum puſtularum conditio, declarat: quippe quæ à bile, minores ſunt ac ſicciores, at magis pruriginoſæ: à pituita, maiores, mitiores & albicantes: à ſanguine, rubentes & dolorificæ, cum inflammatione: ab atra bile, liuidæ & contumaces: quibus, in melancholicis, & vlcera phagedænica nonnunquam ſuccedunt.

HOrum curatio vt methodo ſuſcipiatur, qui circum viſcera & in vaſis humor conſiſtit, euacuari debet variis catharticis, præſertim phlegmagωgis & melænagωgis, venæ cubiti ſectione, & ſuppreſſorum in mulieribus menſium, vel in ſpleneticis hæmorrhoidũ prouocatione: non neglecta epicraſi, vt noui humoris ortus prohibeatur. At qui iam corporis habitum occupat, ſolis chalaſticis, aræoticis, detergentibus & diaphoreticis diſcutitur, maximè hypocauſtis, balneis aquæ dulcis & diſcutientibus, quæ cutis meatus reſerant, calorem foras alliciunt, craſſos humores attenuant, & moto ſudore in halitus reſoluunt.

Ergo cutaneis affectibus hidrωtica.

Aſſerebat Ph. Harduynus de S. Iaques Morinenſis. 1579.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciſcus du Port.
M. Nicolaus Lambert.
M. Gulielmus Luſſon.
M. Ægidius Heron.
M. Ioannes Beauſcherne.
M. Ioannes Riollant.
M. Yuo Marchant, Conſiliarius Regius & recenſionum Corrector.
M. Ioannes Faber Med. & Profeſſor Regius.
M. Michaël Mareſcot.